

**Strepitus pierius,
circa adventum
viri maximi,
episcopi hactenus
Viburgensi...**

1700-1829 81 Cbza Fo1.



National Library
of Sweden

Strepitus Pierius,

Circa Adventum

VIRI MAXIMI,

EPISCOPI

Haftenus VIBURGENSIS CELEBRATISSIMI,

Nunc vero,

Potestate REGIÆ MAJESTATIS

Sic disponente,

Ad curam

INCLYTÆ DIOECESIOS VFXIONENSIS

Clementer translati,

REVERENDISSIMI IN CHRISTO PATRIS

**D:ni Doct: DAVID
LUND;**

Quo,

EPHORUM,

Ur eminentissimum, ita desideratissimum,

Cum ipse Aboam transfret,

Sveciam petiturus,

Ibidemque munus Sacratissimum occupaturus,

In Testimonium

Debiri Obsequii & Venerationis,

Tripudians & devota

Exceptit,

Quo nunc temporis Lyceum Auroicum

Frequentat,

NATIO SMOLANDICA.

1712.



Urgite Pierides, antris efferte reclusis
Ordine dispositos, agmina pulchra, choros!
Pandite nunc Heliconæ Deæ! Procedite jun-
ctim,
Atque sonora levi plestra movete manu!
Ecce venit Mitra fulgens & Nomine clarus
DAVID LUND, Celebris clarus & officio,
Ludite venturo! nihil hic nisi carmina defunt:
Delius En! vobis Carmine dignus adest,
Ite leves Elegi, quamvis non passibus æquis,
Vosque salutato pergite ferre viro!
Excipite hunc hilares, & proni, poplite flexo,
Ora cothurnato, subdite vestra pedi!
Divus ut aspectus Domini Vos Omne fausto,
Et facies risu læta favente beet.
Phosphore redde diem! jam nos mœrore repressit
Nox obscura satis, Nox quoque longa satis:
Ter gelidum liquit Sol axem, terque revisit,
Nunc abitu quarto quarta redibit hyems.
Nec tamen interea post tristia fata CAVALLI
Vexjoviæ in Solio visa Tiara fuit.
Nunc iterum placidus Nobis incanduit æther;
Nunc roseo nivæus fulget Eous eqvo.
Ingemina Pastor lituis educere campis
Sole sub ardenti ad pascua læta gregem!
Plaudite Pastores Gothicorum Australia rura
Qui colitis! Vestrum Pana referte DEum!
Plaudite Musarum Soboles, Aganippidos undas
Qui bibitis doctas! Vester Apollo, venit.
Huc ades O Reverende Pater! Tu Gloria nostræ
Ætatis, nostri fama decusque Soli.

Te memorat, tua gesta canit, cultosque labores;
 Aonidum totus perpetere laude Chorus.
 Hæret adhuc fixum, variæ quam sedulus artis
 Palladiæ longo tempore Doctor eras.
 Pulpita doctiloquum sermonem celsa sonabant,
 Melleus arguto fluxit ab ore lepos.
 Carmina cantabas dulcis doctusque Poëta:
 Dulcior hæud unquam Mula Maronis erat.
 Sulmo gemens metuit ne vinceret æmula vaturn
 Fennia, nevé sui gloria nulla foret.
 Cumque imitatus eras quid Grajus quidvé Pelagus
 Olim percipuit, Svada jocosa fuit.
 Qnicquid & eructat tumida Judæus Apella
 Bucca, sive Syrus, sive sit Arabicus.
 Tu quoque sollicite solerti indagine mentis
 Hoc rimatus eras, discipulisque dabas.
 Pandebas adytis superum Mysteria sacris
 Mysta Dei magnus Thejologumque Decus.
 Audiit obstupuitque simul Phœbea juvenus
 Et falsa est nunquam fata dedisse parem.
 Quid moror at multis? cura quid vexor inani?
 Est in laude tua, nam mea cura nihil,
 Quid conor frustra lucem superaddere luci?
 Ipse nitens toto Phœbus in orbe micas.
 Si numerem laudes, numero per singula cedent
 Et manus & calamus, charta diesque simul.
 Est tua nota satis cunctis Doctrina fidesque
 Et nunc vexatæ Relligionis amor.
 Ergo cupit longis relegi, Te, Ecclesia fastis
 Atque coli digno Nomen honore tuum;
 Et tibi nunc grates abeunti Tempia videntur
 Culminibus nutu reddere velle pio.
 Et revocare volunt nequicquam, detur ut ante
 Quo sonuere olim, pulpita prisca honos.
 Heu tantum viduata virum Tu plange Viburgum
 O Urbs infelix, & tua fata dole!
 Ut pius Æneas Trojæ cum mœnibus exit,
 Insequitur clades, quam dedit hostis equus;
 Sic ubi discessit Noster, tua mœnia linquens,
 Gens subit immani cœde cruenta domos.
 Nunc ubi mulcebant animos, animisque vigorem
 In requie sancta fercula sancta dabant,
 Heu furit Alecto, diris atque excita pœnis
 Sub cruce Tisiphonis stridula membra gemunt.
 Quocunque aspicias, nihil est nisi mortis imago, &
 Morte malum gravius, tristis imago metus.

Die

Dic mihi Musa tamen cujus moderamine duros
Evasit calus Præsul inultus eos?
Nempe Getas hospes mansit mitratus egenos
Quo Natalis erat Fennia clara diu.
Fecerat hoc nobis astro meliore relectis
Cuncta gubernantis provida cura DEI.
Ergo ades & salve! Doctor Celeberrime salve!
Antistes salve! Sit tibi sero Vale!
I pede felici quo te jam fata vocarunt,
Et pia divini sit tibi cura gregis!
Sis verus DAVID, Davidica sit tibi cura
Gentis, quæ roseo est sanguine parta Dei!
Sis verus *Lucus* *Luci* potiusve Magister
(Nomen & officium præstat utrumque tuum)
Porrigere purpureo laticem, laticisque rubentes
Herbas de CHRISTI corpore progenitas.
Ut si sancta fames, vel si sitis urget ovile
Pascua cœlicolum carpat abinde sua;
Sive crucis fervor malefanos ardeat æstus;
Sive Tyrannorum verberet imber atrox;
Excipias profugos & condas tegminis umbra!
Scilicet hæc pariter munera *Lucus* habet.
Fertur & in *Lucis* oracula Diva fuisse
Et gentes inibi consuluisse DEOS;
Rebus in ambiguis, sic Te vocat inscia turba;
Et responsa petunt ordine quisque suo.
Heu quam difficile est implexos solvere nexus;
Mille modis vario vincula flexa dolo.
Quodque alii se posse negant, Tu posse teneris;
Quodlibet extremum pendet ab ore tuo.
Est opus ingenio: Demissi cœlitus ergo
Irradiet mentem luminis aura piam,
Cœlipotens animum, vires & cuncta ministret!
Ut grave rite queas munus obire tuum.
Longa neat Lachesis felicis stamina vitæ
Et niteas tandem fulgida stella Poli.

* * *

Sit, Venerande Pater! crepitu tibi NATIO nostra
Obstrepuis tenero, portio parva chori.
Et licet exili cecinit modulamine Musa,
Mens prolixa tamen carmine major erat.

